



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.9. S. Eutychii Exilium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI. quod nulla peccati macula inquinatum,  
A.C. 565. & in sepulchro non fuerit corruptum.

§. IX.

*S. Eutychii Exilium.*

Cum S. Eutychius nulli labori pepercis-  
 set, quo Imperatori errorem exime-  
 ret, qui illum docebant Principi sugges-  
 serunt, ut etiam Eutychium Sede sua de-  
 turbaret. Igitur die S. Timotheo sacra  
 22. Jan. anno 565. Patriarcha in Palatio  
 Hormisdæ Sanctum Sacrificium cele-  
 brante Tribunus cum militibus Domum  
 Patriarchalem occupat. Capiuntur Fa-  
 miliares, & in diversa rapiuntur, ut con-  
 tra Dominum suum testes esse compelle-  
 rentur, & aliqua saltem Justitiæ species  
 servaretur. Sacrificio (\*) peracto man-  
 sit in Sanctuario a suis admonitus, si ex-  
 iret, ipsum de vita periclitaturum. Stans  
 ergo ante Altare, vestitus ut semper so-  
 lebat, pro Ecclesia oravit usque ad ho-  
 ram noctis tertiam. Postea aliquid cibi  
 sum-

(\*) In diesen Zeilen hat unser Protestant zwey-  
 mal anstatt Sacrificium oder das heil. Opfer ge-  
 setzt: Das Hochamt. Allein dieses Wort er-  
 wecket bey einem protestantischen Leser den Begriff  
 nicht, welchen ihm das Wort das heil. Opfer  
 beybringen würde, und welches in den Kirchenges-  
 chichten tausendmal vorkömmt. Das ist nicht  
 redlich übersezet.

sumpsit, & brevi tempore quievit. Tunc vero Dux militaris, cui nomen Etherius, cum armatorum cohorte ingressus Episcopum abduxit in Monasterium, quod *Choracudis* dicebatur, rebus omnibus spoliatum excepto Pallio, quod non deposuit, & Etherius ipsi eripere noluit, quamvis aliqui ex Clericis, ut auferret, vehementer instarent. Quia vero in pauperrimo Monasterio omnia vitæ commoda Patriarchæ deerant, altera die ad Monasterium *Hofias* dictum deductus est.

Interim in ejus locum Patriarcha Constantinopolitanus ordinatus est Joannes Scholasticus Syrus Apocrisiarius Antiochenus. Is elapsis octo diebus congregatis aliquot Episcopis S. Eutychem in Judicium vocavit, ut ad Libellos contra ipsum traditos responderet; in iis autem accusabatur, quod unguentis uteretur, nutriretur delicate, diu (forte diebus Dominicis) flexis genibus oraret. Adjungebantur alia id genus crimina. Ut Judicii formam servarent, ter miserunt, qui eum vocarent. S. Eutychem semper respondit: *Si me secundum Canones judicare velint, si Clerici mei & Dignitas mihi restituantur, ibo, & Accusatores etiam meos in Causa mea testes admittam.* Ergo eum contumacem condemnarunt; ipse vero sententiam antevertit declarans, Judices suos Censuris Ca-

Sæculum VI.  
A. C. 565.

Theoph. au.  
38. p. 203.  
Evagr. IV.  
c. 38.

Sæculum VI. nonicis se implicuisse. Tum in Insulam  
 A. C. 565. Principiam in Propontide positam deve-  
 vit. S. Eu- ctus est; inde Amaseam Ponti Metro-  
 tych. c. 5. n. 41 lim in Monasterium, cui olim præfuerat,  
 translatus. Ibi annos duodecim versa-  
 tus multa Miracula edidit.

## §. X.

*S. Anastasius Antiochenus.*

Evag. 4. c. 33 Patriarchæ omnes multique Episcopi E-  
 dicto Imperatoris subscribere recu-  
 santes tam in Conciliis, quam datis pri-  
 vatim litteris refragabantur. Episcopi  
 vero Orientis jubenti Imperatori, ut sub-  
 scriberent, repugnarunt dicentes, se o-  
 mnes Exemplum Anastasii Episcopi An-  
 tiocheni sequi. Anastasius ante paucos  
 dies Dominico successerat, Vir virtutibus  
 Christianis & Doctrina maximus. In iis,  
 quæ ad Religionis summam pertinent,  
 constantissimus, minora tamen non ne-  
 gligebat, comis sed non abjecto animo  
 apud illos, qui ab ipsius genio abhorre-  
 bant, severus & simul affabilis. Benigne  
 auscultabat, prompte respondebat, &  
 quæstiones sibi propositas solvebat, si  
 gravis momenti materia esset, ubi ser-  
 mones inutiles incidebant, auribus &  
 lingua carere videbatur. Imperator Ju-  
 stinianus nullum non movit lapidem, quo  
 virum in suas partes traheret, quod cre-  
 deret, omnes cæteros facile ejus vesti-  
 gia

c. 40.